



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiæ Augustæ Scriptores VI**

Ælius Spartianus. Vulc. Gallicanus. Julius Capitolinus. Trebell. Pollio. Ælius  
Lampridius. Flavius Vopiscus

**Spartianus, Aelius**

**Lugduni Batavorum, 1671**

De Valente, XVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51232)



emptus. De quo ipse vera non satis comperi, idcirco quod scriptores temporum de hujus præfectura multa, de imperio pauca dixerunt.

## 'DE VALENTE, XVIII.

**19** **H**ic vir militaris, simul etiam civilium virtutum gloria pollens, proconsulatum Achaiae<sup>2</sup> dato à Gallieno tunc honore gubernabat: <sup>3</sup> quem Martianus vehementer reformidans, simul quod in omni genere vitæ satis clarum norat, simul quod inimicum sibi esse invidia virtutum sciebat, misso Pisone nobilissimæ tunc & consularis familiæ viro, interfici præcepit. Valens diligentissime cavens & providens, neque aliter sibi posse subveniri existimans, sumpsit imperium, <sup>4</sup> & brevi à militibus interemptus est.

## 'DE VALENTE SUPERIORE, XIX.

**20** **F**uit & Valens superior, & bene venit in mentem **V**ut quum de hoc Valente loquimur, etiam de illo

## CASAUBONUS.

**1** DE VALENTE.] Huic cognomen erat Thessalonico, auctore Marcellino libro XXI. plura de eo initio libri de Gallieno.

**3** Quem Martianus vehementer reformidans.] Libro superiore de Martiano quodam egimus: sed non hic de illo agitur: apparet enim ex ejusdem libri principio scribendum esse *Macrianus*. sic recte mox in Pisone.

**6** Fuit & Valens superior.] De hoc supra egimus inter principes post Gordianum III.

## GRUTERUS.

**3** Quem Macrianus vehementer.] Sic & Pal. non Martianus, ut editi.

## SALMASIUS.

**2** Dato à Gallieno tunc honore gubernabat.] Vetustæ membranæ: dato à Gal-

lieno tunc honore. honore pro honore. hoc bonus enim dicebant, & hic honor: ut hoc adus, adoris: & hic ador, adoris. secunda producta. sic hoc decus, & hic decus. optimæ Glossæ: bonus, honor, τιμή θεῶν, τιμή ἀνθρώπων.

**3** Quem Martianus vehementer reformidans.] Indubitanter legendum est quem *Macrianus* reformidans. atque ita Palatinus.

**4** Et brevi à militibus interemptus est.] Interferunt vocem membranæ: & brevi à militibus vi interemptus est. fonte: à militibus suis interemptus est.

**5** DE VALENTE SUPERIORE. Fuit & Valens superior.] Delendus hoc etiam loco titulus, & una serie continuandum & legendum: VALENS SUPERIOR. Et bene venit in mentem, ut quum de hoc Valente loquimur, etiam de illo Valente